Barnabam, ut patet 1. ad Corinth. c. 16. et ibi vide S. Thomam et Petrum de Tharentasia et Nicol. Lyra., et ad Galat. VI. et 2. Corinth. 8. et Rom. XV. Proficiscor, inquit Apostolus, nunc in Jerusalem, ministrare sanctis, dando eis collecta ex Achaja et Macedonia etc. Semper enim erant in Jerusalem viri et mulieres viventes in evangelica paupertate, pro quibus sollicitabantur etiam ipsi Apostoli. Unde cum primae columnae ecclesiae, Petrus, Jacobus et Johannes dextras dedissent Paullo et Barnabae, eosque gentium ordinassent Apostolos, miserunt eos ad praedicandum hac conditione, ut memores tamen essent pauperum in Jerusalem colligendo pro eis et mittendo, ut habetur ad Galat. 2. Quare quasi in omnibus epistolis suis Paullus admonet fieri collectas sabbatis cunctis in Jerusalem, et diligenter providit de secura transmissione. Unde et ipsemet per se ipsum aliquando ideo ascendit Jerusalem ad praesentandum collecta, ut patet Rom. XV. et Actuum XXIV., ubi Felici praesidi de hoc facit mentionem, Mansit autem haec consuetudo in ecclesia, ut mitterentur collecta in Jerusalem multis temporibus. Surrexit autem quidam haereticus, Vigilantius, qui inter alios suos errores etiam hunc habuit, dicens, illam collectam et transmissionem esse vanam et inutilem; contra quem malleus ecclesiae, Jeronymus, stetit eumque super hoc errore gravissime repercussit et exstinxit, ut in epistola contra Vigilantium. Sed et Licinium quendam, perdivitem Romanum, qui multas eleemosynas miserat Jerosolymam et tantum aurum dederat, ut multorum posset inopiae subveniri, plurimum commendat, ut patet in epist. ad Theodoram viduam. Insuper S. Gregorius legitur specialem curam habuisse de religiosis in Jerusalem, quibus et monasterium aedificavit et sumtus transmisit. In hunc insuper finem institutae fuerunt in ecclesia tres Ordines, scilicet Templarii, Hospitalarii, et sanctae Mariae Theutonicorum, et inductum eis fuit aedificare domus per loca, et possessiones ac alias acervare divitias, ut eas transmitterent in Jerusalem. Unde primi in tantum profecerunt in rebus temporalibus, ut ecclesia occidentalis eos ferre non posset fueruntque deleti, et pars etiam eorum data fuit Hospitalariis, qui nunc Johannitae nuncupantur, quorum omnia bona pertinent ad Hierosolymam.

Ende

Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-3;